

adfert, doctrinâ destitui; cumque quicumque non crediderit salvus futurus non sit, quousque in infidelitate persistunt, inque ea moriuntur, salutem nequaquam adipisci, atque adeo post mortem beatos prædicari sine hypocritæos aut indifferentissimi suspitione non posse. Equidem non negant nostrorum partium Theologi, complures falsarum religionum confessores, quamquam in loco suæ religioni addicto, manentes in externo illius cœtu, ex hac vitâ decedant, salutis tamen posse fieri participes, si intra sese graviores illius errores agnoscant, cæteris verò mediis ex erroribus illis eluctandi jam destituti & in simplicitate animi citra contumaciam Christo adhærentes, occasionem haud inveniant, sese ex loco & cœtu heterodoxo surripiendi. Sed ubi ejus rei indubitata notitia nos destituit, & verò, qui in cœtu heterodoxo vitam claudit, in illius cœtus fide mortuus esse præsumatur, nefas est, quemcunque in talis Ecclesiæ communione decedentem, beatum à nobis prædicari, nisi velimus sanctissimam fidem nostram prostituere, & cum infidelibus unum jugum ducere.

§. XVI. Constat itaque, eos tantum à nobis beatos prædicari posse & debere, qui in verâ Lutheranâ religione vitæ faciunt finem. Jam verò hos ipsos duplicis iterum generis esse, omnibus notum est, & perspectum, pios & pœnitentes, qui Christum non ore tantum prædicant, & externam sanioris doctrinæ professionem edunt, sed qui verâ vivaque fide Christum Salvatorem generis humani unicum apprehendunt, eumque cum Patre & Spiritu S. ut verum Deum agnoscunt & adorant, Joh. XVII. 3. fiduciam firmam in hunc Deum Trinunum collocant, vitam quoque Evangelio dignam ducunt, Deoque verè placere modis omnibus adlaborant. In quâ fidei doctrinâ & vitâ, si ad extremum usque habitum perseverant & obdormiunt, vel actâ certè ante finem vitæ, si illa antea proba non fuerit, pœnitentiâ, hinc decedant, beatos omninò esse prædicandos asserere haud dubitamus Dantur verò in Ecclesiâ nostrâ & impii inque in flagranti peccatò morientes, qui per totam vitam amarunt mundum, & quæ in eò sunt, 1. Joh. II. 15. notorie ex peccatis in peccata proæretica prolapsi, eorumque seria pœnitentia, ne quidem sub vitæ finem ducti. Quâ impietate cum Christum Servatorem omnium hominum de novò quasi crucifigant, Hebr. VI. 6. Deum Patrem sibi iratum reddant, Spirituique S. in ipsis operanti malitiosè resistant, Act. VII. 51. nec verò vel verbis, vel beneficiis à viâ ipsorum malâ revocati à peccatis desistant, sed praefractè in illis perseverent, nec vel in extremâ mortis horâ ullum veræ conversionis indi-

indi-